4374

8.

D. O. M. A.

DISPUTATIO MEDICA, De AFFECTU HYPOCHONDRIACO,

Quam

Ex Decreto Gratioſiſſimæ Facultatis Medicæ

PRO LOCO,

in eâdem obtinendo,

Publicæ diſquiſitioni ſubmittit

GODEFRIDUS MOEBIUS,
Lauchenſis, Med. D.
& P. P.

Ad diem XXIII Novembr.

In Auditorio Medicor. horis conſvetis.

JENÆ
Typis ERNESTI STEINMANNI,
ANNO M DC XL.

Σὺν τῷ Θεῷ!

Mille-artifex Proteus, ut veteres fabulantur Poetæ, admirandâ metamorphoſi in innumeras converſus figuras, nullis prehendi vinculis poterat, nullâ vigili excubiarum curâ in carceribus contineri: dum nunc voraci gurgite ſtridentes mentiebatur aquas, nunc vibrata vertice contorto flamma uberem favillarum vim nubibus immittebat, nunc horrendo rugitu tremebundam ferarum progeniem in ſylvis fugabat, ſurgenteq; ſtipite vernans, inter medias nives quercus, res nova, jucundum exhibebat prætereuntibus ſpectaculum, ſibilabat angvis, rana in ſtagnis coaxabat, paſſer pipilabat, in cuncta rerum tranſiens miracula. Mali hypochondriaci genium & naturam accuratioris judicii indagine perquiſituri verum Protea quoque inveniemus, mundi epitomen, naturæ delicias, hominem, tâm variâ ſymptomatum viciſſitudine, inimico calamitatum concurſu, faſtiditis delicatæ vitæ moleſtiis affligentem & immutantem, ut Medicus, licèt Argo oculatior, mali πολυμορφία deluſus, quid primùm agat, quidve pôſt moliatur, non rarò ambigere cogatur. Etenim modò ventriculus vitioſorum humorum copiâ reſtagnans δυσπεψία laborat, cõmunis cæterarum partium famulus non leves turbas in microcoſmi œconomiâ daturus: modò inteſtina torminibus infeſtantur, meſenterium, renes & veſica tartareâ colluvie lancinantur: modò lien tumore ſcirróve; benigniq́ue humoris officina hepar duritie, obſtructionibus, intemperie, aliisq́ue innumeris ægritudinibus affliguntur. Sol microcoſmi cor, perennis vitalis caloris fons, non ab omni parte beatum,

habet quod huic malo acceptum ferat; dum non tantùm palpitatione; verùm etiam lipothymiâ, ſyncope, graviſſimis deamatæ vitæ inſidiis miſerè vexatur. Ipſa regia mentis ſedes, caput, ſublimi ſtatione donatum, ab hujus Protei inſultibus nequaquam liberum, ſuos quoque patitur manes, creberrimis doloribus, vertigini, catarrhis, melancholiæ, aliisque ſanæ rationis corruptelis quamplurimis expoſitum, adeò, ut quod præclarè *Galenus 6. loc. affect. de hysterica paſſione ſcriptum reliquit:* eam nomine quidem unam eſſe, nihilominus ſub ſe comprehendere innumera & varia accidentia; id potiore forſan jure de ποικιλομόρφω & verſiformi hoc affectu poſſit commemorari. Quocirca quum hic affectus in hac decrepitâ mundi ſenectâ ſit frequentiſſimus, & imprimis literatis vitamq; ſedentariam agentibus valdè familiaris, ejus naturam & curationem breviter enucleare publicæq; diſquiſitioni ſubjicere, fert animus.

Dicitur AFFECTIO HYPOCHONDRIACA, ſeu vulgò MALUM HYPOCHONDRIACUM, & ſumitur 1. *Generaliter* pro quacunque affectione partium ſub hypochondriis contentarum. 2. *Specialiter* pro illâ, quam *Diocles & Aëtius* vocant πάθος φυσῶδες, affectum flatulentum, à ſymptomate plerunque comitante.

Barbari MIRACHIALEM vocant, quod abdomen *Arabibus* MIRACH ſit, vel potius meſenterium.

Hermetici à TARTARO humoribus permiſto indigitant TARTARUM HYPOCHONDRIORUM.

Neque Veteribus hoc malum planè ignotum, ſed ab *Hippocrate ſub nomine* ἀναντῆς, *i.e. morbi reſiccatorii l. 2. de morb.* quodammodo delineatum videtur. Poteſt

DEFINIRI diſpoſitio præter naturam, partium primæ & ſecundæ coctioni deſtinatarum, dependens à vitioſorum humorum colluvie, in vaſis venæ portæ ſplenico & meſenterico, ut & arteriarum cæliacæ & meſentericæ utriusque ſtabulante, generatorum propter ſangvificationem lienis læſam.

GENUS, quod formæ locum obtinet, eſt diſpoſitio

cùm

cùm Temperamenti, tùm conformationis. Intemperies calida & frigida adeſt: modò enim cruditas acida, modò nidoroſa; vomitus modò pituitoſi, modò bilioſi percipiuntur. Pylori inflammatio *à Diocle 3. loc. aff. c. innuitur.* Continua ἀντιπραξία jecoris & lienis cum ventriculo eſt manifeſta. Obſtructiones in meſenterio hypochondriorumq; viis tam frequentes & contumaces, ut eas ſi tollas, totum malum ſublatum videatur. Lien interdum etiam tumet, ut ita morbus malæ conformationis cum in viarum defectu, tùm in magnitudine auctâ concurrat.

SUBJECTUM partes ſunt variæ. Prima mali labes, LIEN, principaliter afficitur per eſſentiam πρωτοπαθικὴν, quatenus ejus αἱμάτωσις de gradu temperato dejecta vicinarum partium temperiem & tenorem immutat. Licet quidem *Eraſiſtratus, teſte Gal. 4. de uſu part. c. 15.* cujus ſequax eſt *Ruffus Epheſius*, lienem inutile corporis pondus eſſe, clamitet; rectiùs tamen *Ariſtot. 3. de part. animal. c. 7.* lienem quaſi νόθον ἧπαρ, eò quod ſæpè ejus vices obeat, dixit. Perſpicuè id ratio & experientia, firmiſſima Medicinæ fulcra, demonſtrant: quod fuſius explicant *Alexand. ſect. 2. probl. Aretæus lib. 1. de cauſis & ſign. chron. Reuſnerus l. de ſcorbut. Exercit. 4. Bauhinus l. 1. theatr. Anat. Spigel. de humani corporis fabr. l. 5. c. 3.* qui lienis officium in hoc conſiſtere, omni aſſeveratione affirmant, ut, dum chylus è ventriculo & inteſtinis ad epar pergit, & jam ad venæ portæ divaricationem pervenit; ingenitâ virtute, craſſiores & feculentiores chyli partes, copioſo ſero ad faciliorem diſtributionem facturo, dilutas per ramum ſplenicum ad ſe alliciat, laudabiles & puriores epati relicturus, atq; ita pro ſuâ, quâ præditus eſt, δυνάμει αἱματοποιητικῇ ſangvinem craſſiorem, optimum tamen pro nutritione partium infimi ventris concoctioni deſtinatarum elaboraturus; quas natura voluit craſſiore ſangvine nutriri, cùm ut calor ipſarum eſſet validior, & in ſubſtantiæ craſſitie & ſoliditate fortior, tùm quòd ipſa harum partium ſubſtantia craſſior ſit, ſeu compactior, quàm cæterarum; ex quo ipſas ſimili quoq; ſangvine nutri-

ri conveniebat. Hæc itaq; lienis operatio quando rectè & decēter non abſolvitur, partiū utilium cum inutilibus inextricabilis oritur confuſio, cibus & potus, ob calidam intemperiem, ſæpè adhuc crudus attrahitur, & quidem tenuis & aquoſa chyli pars maturiùs, craſſa tardius, unde poſtea craſſior vehiculo deſtituta in meſaraicis ſubſiſtit, atq; ibi hærens ulterius incraſſatur, ſæpè etiam aduritur & poſtea ad lienem perveniens non rectè coquitur; ex quo pro puro ſangvine, illaudabilis & ad alendum ineptus generatur, ut ita partes, quibus lien ſangvificat, vitioſo ſangvine nutritæ labefactentur, tonum & nativum ſubſtantiæ modum amittentes, vitioſorumq; humorum farraginem in primis viis, tanquam communi corporis noſtri ſentinâ contrahenhentes; donec obſtructiones, viſcerumq; ἀντιπραξία contumax adeoq; Lerna malorum introducatur.

Malorum itaq; incunabula LIEN laborat πρωτοπαθικῶς, δευτεροπαθικῶς verò cæteræ partes, ut VENTRICULUS; cujus χύλωσις ſeu fermentum non poteſt non eſſe debile & depravatum, tùm quia à liene male nutritur, tùm quia cæterarum partium ἀντιπραξία, & à vitioſis ſuccis regurgitantibus labefactatur. Non enim aliâ de causâ à venæ portæ trunco accipit ramum pyloricum, à rami ſplenici ſuperiore parte coronariam ſive gaſtricam κατ' ἐξοχὴν dictam: item gaſtroëpiploidem ſiniſtram, & vas breve, venoſum, atq; à ramo meſenterico gaſtroepiploidem dextram, niſi ut alimentum ipſi bonum & laudabile ad robur nativum obtinendum, operationesq; rectè obeundas ſubminiſtrent. Unde dū hæc perperam fiūt, cibꝰ in ventriculū miſſꝰ non in chylū, ſed in vitioſum ſuccū mutatus, partim vomitu interdum, vel fluxu alvi ſemicoctus iterum eliminatur; partim ad vicina loca delatus, meſenterii, pancreatis, omenti & jecoris naturalem conſtitutionem perturbat; vel in ramis venæ portæ, arteriæ cœliacæ, ac menſentericæ, ab epate & liene ad ventriculum & contermina loca tendentibus cumulatus, ructus, flatus, hypochon-

chondriorum murmura, tenſiones, aliaq; mala procreat
ὡς μύρμακες ἀνήριθμα καὶ ἄμετρα.

JECUR obſtructionibus & intemperie laborat. Cavitas inter ventriculum & diaphragma, cujus meminit *Hipp. 7. aph. 54.* ut & cavitas omenti à labe non ſunt immunes.

Ipſa inteſtina, duram finitimarũm partium vicem dolentia, modò torminibus & fluxu laborant; modò tenacibus humoribus referta, commodum præbent lumbricis domicilium, difficilem alvi excrementis exitum: modò humorum lentore agitata, id quod aſpectu mirum, manifeſtiſſimo motu multiplices angvillæ gyros, tremulumve populi albæ folium imitante percipiuntur: quemadmodum hoc ante annum in nobili fœminâ hypochondriacâ obſervare contingebat.

Hæc in infimâ corporis regione quum ita ſe habeant; denturq; manifeſtæ anaſtomaſes venæ portæ cum cavâ; non poteſt, quin hæc vitioſorum humorum colluvies partes vitales, & animales in conſenſum trahat. Sangvis enim ſuccis crudis & tartareis inquinatus, & ad cordis ventriculos, ut & ad pulmones ad elaborandos ſpiritus vitales delatus, hic aſthma, anguſtiam pectoris, interdum & ipſam phthiſin; illic verò lypothymiam, palpitationem, & hujus generis gravia ſymptomata conflat. Non ita pridem hoc in ægroto extra hanc urbem perſpicere mihi licuit; quem licet aptis adhibitis medicamentis ad eum ſtatum perducerem, ut hypochondria iterum planè ſana, ab obſtructionibus & intemperie liberata judicâſſes; progreſſu tamen temporis glutinoſa & tenax materia ex hypochondriis ſuppeditata, in qs pulmonum bronchiis coacervata contumaciſſimè adhæreſcebat, crebram ſyncopen & aſthma incurabile producens. Sputum quod moleſtiſſimâ tuſſi ejiciebatur, erat inſtar glutinis tenax, nec humectantibus nec reſolventibus, neq; externis neq; internis commodè cedens, tantam virium jacturam tandem afferebat, ut quod facile præſagire licebat, ægrotus reſpiratione, neceſſariaq; ſangvinis ventilatione

deſti-

deſtitutus, vitam cum morte commutare cogeretur, ſpem alià s vitæ longam oſtenſurus.

Quocirca quum vitium primæ coctionis non corrigatur in ſecundâ, multò minus in tertiâ; quid æſtimandum de ſangvinis arterioſi huj9 fructu in cerebro repullulaturo?

οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται, οὐθ' ὑάκινθος,
οὔτε ποτ' ἐκ δούλης τέκνον ἐλευθέριον.

Sangvis purus, per cerebri mæandros transfuſus, ſpiritus animales producit puros; impurus, ut in hypochondriacis, obſtructiones doloremq; gravativum parit, catarrhos cumulat, vertiginē & melancholiā ægrotis propinat, laſſitudinem ſpontaneam, triſtitiam & vitæ tædium nullâ datâ causâ, non raro conciliat. Et hæc ſi accuratè perpendamus; manifeſto reſultat indicio, iſta ſymptomata, & præcipue melancholiam hypochōdriacam non tantùm à vaporibus ex hypochondriis elevatis oriri; ſed vitioſos tartareosq; humores ipſos in ſubſtantiâ ad cerebrum, hæc mala exſuſcitaturos vehi: modò quis motum ſangvinis reſpiciat, vel conſideret, quod is ipſe ſangvis, qualis in hypochondriis ſtabulatur, ad cerebrum pervenire poſſit. Lapillos in cerebro generatos fuiſſe, hiſtoriarum vadimonia obfirmant. *Joh. Kentmann. in lib. de calculis. Hollerius l. 1. de morbis intern. in ſchol. c. 48. Cornelius Gemma l. 1. Coſmocut. c. 6.* At quomodo hi generari ibi potuiſſent, niſi ejusmodi Tartarei humores unà cum ſangvine adveherentur? Confirmant id quoq; arthriticorum tophi; quod certiſſimum facit ſpagyrica ſangvinis anatomia, ubi non tantùm ſpiritus ſalinus, ſal volatile, ſal fixum & oleum, verùm etiam materia tartarea & feculenta deprehenditur. Vapores tamen ex æſtu hypochondriorum elevari, & malum quoq; augere poſſe, facile credet is, qui Chimicorum operationes pernovit, expertus, aquas & ſpiritus ex cucurbitâ in alembicum, etiam obſtante chartâ bibula vel panno, aſcendere. Spiritus vini, vinum forte, aliaq; ſubtiliora potulenta dicto ferè citius vires reficiunt caputq; feriunt: non quod primùm in ventriculo ſubacta ad epar, & demum ad cor, tandemq; ad caput penetrent; ſed quod à calo-

à calore ventriculi reſoluta corporis meatus etiam inſenſiles in momento pervadant,& quâ detur porta,ruant. Calor valde exiguus,longiore tamen temporis tractu perennans, mirandas operationes nobis in arte Spagyricâ oſtendit. At hunc in corpore noſtro non interrupto tenore perdurantem, præter coctionem & digeſtionem, humores ſublimare, imò etiam per inſenſilem transpirationem continuò reſolvere,ſordes per cutis poros,& per ipſam calvariam penetrantes teſtantur.

CAUSA IMMEDIATA ſunt humores crudi,melancholici,bilioſi,pituitoſi, nonnunquam acres, acidi,& pontici;nonnunquam nidoroſi,vel planè inſipidi plurimo ſero diluti.Utramq; autem paginam hîc ferè faciunt ſalia & tartarus dictis humoribus immixta:adeò ut confirmatum malum hypochondriacum vix crediderim, ubi hæc nondum abundent, obſtructiones firmiſſimas,morbumq; magis refractarium conflatura. Sunt autem hæc non unius generis. Præter ſal commune habemus ſal nitroſum, aluminoſum, Vitriolatum Ammoniacum.Tartarus alius eſt viſcoſus, alius bolaris,alius arenoſus & calculoſus, ut notat *Senn. de conſenſ.& diſſ.p.274.& 75.* Et certè hanc tartari ſaliumq; differentiam in corpore noſtro animadvertere licet, in hypochondriis, & interdum in totâ maſsâ ſangvineâ abundantium. Humores hi tartaro ſalibusq; imprægnati generantur ut plurimum ob lienis ἀιμάτωσιν læſam: id quod fit vel lienis, vel ipſius chyli vitio,quod ventriculi culpâ fuit contractum. Etenim quum ventriculi coctio ζυμώσει quaſi καὶ πνευματώσει perficiatur, quâ heterogenea ab homogeneis, pura ab impuris ſeparantur; craſſa fiunt ſubtilia,fixa volatilia, cruda mitia;id quod in rerum Chimicarum fermentatione perſpicuè oculis objicitur: et verò hæc πνευμάτωσις quando depravatur, ſal fixus tartareus,parteſq; cibi feculentiores ab utilibus nec ſequeſtrari poſſunt, nec partibus nutriendis aſſimilari;ſed circa primas vias ſubſiſtunt, & indies magis magiſq; coacervantur, proprium interdum corruptionis gradū corripientes. Nam

B quum

quum animalia ex plantis, plantæ è terrâ ſuum alimentum attrahant, hæc autem in ſe materiæ ſalſuginoſæ non parùm, mineralesq; partes, aut ſpiritus in ſe contineat: facile hinc apparet, alimenta, quibus veſcimur, ἀνεπιτήδια, ἄκρητα καὶ ἰσχυρὰ, ut appellat *Hippocrates de priscâ medicinâ*, multa in ſe continere: quæ cum nullo modo in alimentum corporis abire poſſint, maturè, ac ſi fieri poſſit, mox in primâ coctione ſecerni debent; retenta verò in primis viis, & ab aliis poſtea ſecreta ſi per ſe extiterint, non ſolùm ſecundum primas qualitates homini nocent, ſed & ſecundum δυνάμεις, ἀκρότητας καὶ ἰσχῦς, ut ibidem *Hipp.* nominat, quatenus ſcil. amara, ſalſa, acida, aut acerba ſunt, aut ſimiles qualitates habent. *Senn. l. 3. prax. p. 510.* Et certè quemadmodum error in fermentatione Chymicâ commiſſus in ſubſequente digeſtione vel deſtillatione nullatenus corrigi poteſt: parili ratione tantùm abeſt, ut ventriculi errata reliquorum viſcerum diligentia compenſet, ut potiùs malum malo cumulent, & ipſius ventriculi culpâ vapulent, obſtructiones & intemperiem vicini negligentiâ contractura.

CAUSÆ MEDIATÆ ſunt I. NATURALES videlicet TEMPERAMENTUM lienis, epatis, & meſenterii calidum & ſiccum, ventriculi verò frigidum & humidum, interdum tamen etiam, quoad pylorum, calidum. Ubi ab hac viſcerum ἀντιπαρεξία, reciproca fit malorum generatio, dum lien & reliqua dicta membra vitioſum ſangvinem viſceribus nutriendis transmittunt, & ab iis viciſſim chylum confuſum & adulteratum accipiunt. Uteri intemperies apud mulieres non ſegnis eſt hujus mali nutricula. Obſtructiones tartareæ haut inerti juvamine hîc ſuas ferunt ſuppetias.

II. NON NATURALES, res non naturales à Medicis dictæ AER qualitatibus ſuis pro variâ anni mutatione humores in corpore noſtro vehementer & variè mutat. Sic in *Italiâ*, à menſe Junio ad exitum usq; æſtatis, imò etiam ad bonam autumni partem, æſtu non amplius urgente, ſed & pluviarum copiâ priùs contemperato, nemo hominum au-

audet, citra vitæ dispendium, *Româ Neapolin* proficiſci. Unde etiam tum temporis via illa interdicta, ne quis ſponte, vel inſcius pereat: feliciter quidem ſuccedititer, ſi trans *Neapolin Siciliam* aut *Milten* verſus iter protrahatur. At mox, aut cum aliquâ morâ *Romam* redituro, nulla vitæ prorſus ſervandæ ſpes affulget, rariq; periculum hoc tentantes, mortis diſcrimen effugiunt. Inter alia mala, viatores febri ardentiſſimâ, caput potiſſimum infeſtante ac contorquente, cum vehementiſſimo incendio infeſtantur, ſuccedentibus ſæviſſimis deliriis, experientes, quàm parum tutum fuerit publicæ admonitioni refragari, pertinaciæq; indulgere. *Ferrariæ* tibiarum ulcera curatu ſunt difficillima. In *Galliâ Narbonenſi* vulnera capitis ægrè ſanabilia *Maltæ* omnia ferè, vel minima etiam lethalia: & hæc omnia â qualitatibus aëris non temperatis ita eveniunt. In noſtris regionibus, ubi larga febrium ſeges, catarrhorum copia, affectionisq; hypochondriacæ frequens querela, quis varias aëris mutationes ab omni culpâ abſolvet? Aër enim nos continuò ambit vigilantes, alto ſomno oppreſſos, ſtragulisq; diligenter munitos non deſerit; externo contactu non contentus, non per os tantùm aliasq; patentes vias, verùm etiam per inſenſiles cutis poros in corporis penetralia ſeſe inſinuat, pro arbitrio humores immutans. Hinc ſi nimis frigidus vel craſſus fuerit, humores incraſſat magisq; figit; ſi nimis æſtuat, eos fundit, adurit; exhalationibus, eluvie fluviorum, cadaverum fœtore, aliisq; inquinamentis imbutus ſpiritus & ſangvinem alterat, difficilem motum ipſis imprimendo, & nonnunquam putredinem excitando.

CIBO & POTU, quicquid nectaris noſtri & vitalis humoris, calore, laboribus, vel inediâ fuit exhauſtū, reſtituitur, priſtinasq; vires corpus cibo recreatum, recuperat: langvoremq; ſuum ex receptâ ſimili ſui ſubſtantiâ, vitaliq; balſamo deponit & novas vires regerit: modò decenter & juſto modo hic omnia fiant. Quod ſi verò pulmentis acervatim, panibus aggregatim & poculis agminatim ingeſtis *Eduſæ ac Potinæ Deæ* egregiè litare, ſtruices patinarias in deli-

ciis habere, maximosq; calices maximo hauſtu & ἀμυστὶ reſupinare voluerimus, optimè quidem affectioni hypochondriacæ conſulimus, peſſimè verò valetudini, bibentes pro alterius ſanitate, noſtro ipſorum jumento morborum cohortem accerſimus. Etenim cibi varii, copioſi multiplices & πολυποίκιλοι *Platoni* dicti, in ventriculum miſſi, quum diverſis, & interdum contrariis qualitatibus polleant, partim elaborantur, partim corrumpuntur, chylū confuſum ſuppeditantes; qui in hoc malo ovo excludendo profectò plurimùm valēt. Et hic vitanda veniūt caro bubula, cervina, ſuilla, aprugna, leporina, ut & anatum & anſerum: pedes & viſcera animalium farcimina, aves in aquis paludinoſis viventes. Lactis uſus non eſt commodus, ut nec caſei. Piſces vitentur marini, & in aquis paluſtribus ac ſtagnantibus natantes; Carpiones, angvillæ, cochleæ, cancri, piſces duri, ut & alii ſale conditi vel fumo indurati; qui licet interdum boni ſucci ſint; per infumationem tamen ſuccus alimentaris diſſipatur & abſumitur, remanente parte terreſtri ac tartareâ; atq; ita nativo ſuo ſucco viduati alienam planè naturam non rarò induunt & corrumpuntur. Fructus pleriq; rejiciendi, quum ut plurimùm dulces vel auſteri ſint, & præterea flatulenti, & facile corrumpantur, præter poma Borsdorffiana, & ſi quæ ſunt ſimilia. Abſtinendum etiam à pane non ritè fermentato, aut ex frumento corrupto piſto; à bis cocto & vermiculato. Negligantur uvæ, muſtum, vinum pendulum aut tartareum, ex loco calcario, aut aliam materiam mineralem continente proveniens: Quâ de causâ noſtras Jenenſe non omne omnibus concedendum. Non eligatur cereviſia turbida & feculenta, ex aquis impuris & corruptis frumentoq; relollaceo cocta, pauco lupulo condita, nec decenter fermentata. Legumina non attingantur, præter hordeum, & avenam, acetum non niſi moderatiſſimè aliis admixtum ſumatur: ſiquidem abundat plurimo ſale fixo, eſtq; ἀναγωγὸν μελάνων ὄξος, ut habet *Hipp.3.de victus rat:* Et ut eſt choleræ mors, ita melancholiæ vita. *Senn.3 prax.p.563.*

SOM-

SOMNUS, eximium ac præſtantiſſimum Dei donum, generi humano in quietis locum datum, dulce laborum curarumq; levamen, placidiſſimum defatigatorum ſpirituum ſolamen, pax & tranquillitas animi: ita, ut *canit Ovidius his verſibus*:

Somne, quies rerum, placidiſſime ſomne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, tu pectora duris
Feſſa miniſteriis mulces, reparasque labori.

Hic ſi diurnus vel meridianus inſtituatur, gravem hypochondriorum affectum efficit graviorem, generat morbos humidos, catarrhos, corrumpit calorem nativum, gravat ſplenem, laſſat nervos, debilitat appetitum, generat febres & apoſtemata. Hæc tamen cum grano ſalis ſunt accipienda. Nos enim ſomnum diurnum non omninò damnamus, in certis quibusdam hominibus; qui ſi conſveverunt in multam vigilare noctem, tardiusque ire cubitum, coguntur certè bonam diei partem quieti attribuere: & in hanc rem poteſt eligi tempus pomeridianum, hora ſcilicet una atque altera à prandio. Quod tempus eſt commodiſſimum iis, qui dolore aliquo corporis, aliave quadam ægritudine impediti, nocturnam quietem capere nequeunt. Item ſi quis tanta membrorum laſſitudine prematur, ut erecto corpore ſtare nequeat, huic etiam permiſſum eſt, paululum conquieſcere, & ſi poteſt, dormire. Similiter & iis, qui debili & imbecillo laborant ventriculo, ac in quibus alimentorum concoctio difficulter, magnoque negotio perficitur. Sed neceſſe eſt, ut ejusmodi homines in ſellâ erecto capite dormiant; neque ſomnus excedat ſpatium unius aut duarum horarum, idque fiat primâ aut ſecundâ à prandio, uti dictum eſt. Intemperatus quoque ſomnus fugiendus. Is enim, præter commemorata incommoda, via quædam eſt ac diſpoſitio ad lethargum, carum, apoplexiam; & ſimiles ſoporiferos affectus, qui ſorores germanæ ſunt ipſius mortis, ipſorumque interventu tandem in illam delabimur.

VIGILIÆ moderatæ plenitudinem per halitum digerunt, quæ in ventre ſunt, minuunt, & ut per partes infernas

exeant, præparant: langvorem diſſolvunt, gravitatem diſpē-ſant, reſoluta corrigunt, & robur naturæ atq; animo adjungunt, *Oribaſius lib. 6. Met. Collect. c. 6.* Verùm ſi immoderatæ naturæ præſcriptos terminos transgrediantur, à quacunque etiam causâ accidentali id fiat, ſive ea ſit interna, ſive externa: ſtatim temperamentum hominis mutatur: facies pallescere incipit, corpus macie contabeſcere: oculi in capite concavi cum auſtero & triſti vultu: frons vel ſereniſſima ac placidiſſima, deformes anilesq; contrahit rugas: omnes facultates naturales depravantur: unde harum vitio mala & perverſa concoctio procreat crudorum ac malignorum humorum copiam: ſic deinceps vitales attenuantur vires: nec hinc animales excipiuntur, ſed etiam læduntur adeò, ab impetuoſo illo & hoſtili morborum incurſu, ut corrupta vitiatâque cerebri temperie, ſenſus tam interiores quàm exteriores à naturali inſitaq; agendi ratione deflectant ac aberrent, ac ſæpenumero actio illorum omninò pervertatur.

EXERCITATIO intempeſtiva, immediatè ante cibum, aut ſtatim à cibo, concoctione primùm inchoatâ, vel nondum abſolutâ, ſuſcepta, coctionem turbat, crudos humores, antea ſopitos quaſi & quieſcentes fundit, in viſcera & corporis ambitum cum chylo ſemicrudo præcipitat. Contrà

VITA OTIOSA & SEDENTARIA trita quoque & maximè frequens via eſt, quâ hæc valetudinis pernicies ſeſe inſinuat. Hac enim ratione vapores, qui exercitiis per cutis ſpiracula debebant excuti, in carnoſo & muſculoſo habitu detenti, cumulantur, & reciprocantur, calorem nativum, excrementorum augmento, ſuffocaturi, coctioni & digeſtioni non levem remoram facturi, corpusque univerſum ſegnitiei, ſpontaneæque laſſitudini tradituri; præprimis lucubrationibus vel meditationibus à cibo aſſumto ſtatim inſtitutis accedentibus; quibus an valetudinis peſtis major excogitari poſſit, vehementer dubito. Sic enim ſpiritibus & calore ad caput avocatis, crudus manet ventriculus, vapo-

ribus caput repletur, perverſoque ordine fiunt omnia, ex uno inconvenienti dum ſequuntur innumera. Porrò præceps & pronus ad hoc malum deſcenſus eſt

VENERIS USUS nimius & intempeſtivus. Quemadmodum enim venefica illa *Circe* à Poetis decantata, fingitur eos, quos ad ſe intromitteret, non tantùm effaſcinaſſe, mente ac judicio privâſſe ; ſed etiam in fœdiſſima bruta, porcos nempe, animalia turpiſſima convertiſſe: ad eandem quoque faciem quos rapit inſana & immoderata illa cupido, non tantùm de ſtatu mentis deturbat; verùm etiam cruditates, langvores, lipothymias, ſyncopes, paralyſes, arthritides, vigilias, luem veneream, lepramque, quâ totum corpus in putrida fruſta diſſolvitur, progignit: quâ ratione Circæos porcos fæditate ſuperat, ſatellitesque ſuos ſplendidis ornamentis condecorat.

RETENTIONES excrementorum, horumque ſubitæ & immoderatæ evacuationes omni culpâ non carent. Etenim hæmorrhoides, menſes aliæque conſvetæ evacuationes intermiſſæ calidum nativum, coctionemque turbant, vaſa diſtendunt, comprimunt, obſtructiones & intemperiem viſcerum adaugent, vaporibus caput replent, langvorem anxietudinemque pariunt. Nimia verò inanitio ſpiritus diſſipat, nativum balſamum, verum nectar, ſeu oleum ſpirituale pretioſiſſimum, quod inſtar vitalis lampadis tenebricoſum corpus illuminat & fovet, carptim conſumit. Symbolum ſuum tandem ſtrenuè huc conferunt

AFFECTUS ANIMI. IRA *infernalis illa Megæra*, vinculis ſolutis rabiem totam hîc exſerit, non uno flagello ſimplici, ut depingitur, contenta, ſed cruentatum enſem unâ, incenſam tædam alterâ manu intentat: illius brachia reductâ veſte, nil niſi cædes & ſangvinem minantur: apertum pectus faſtuosè explicat: auras ictibus quaſi ſeriò prælians diverberat, modò huc, modò illuc circumagitur: quin & horrendâ voce, ad arma & cædes, ad ſangvinem & ignes furiis omnibus agitatur, ac ferro ignique ſe vaſtaturam omnia comminatur: usque adeò inſolens illa rabies omnibus modis

dis

dis truculentam & atrocem beluam refert, Et ex hac furioſæ bilis commotione & continuis fluctibus, animus & ſpiritus primùm agitantur, totum corpus concutitur: ſangvis aliique humores incaleſcunt & conturbantur, ac imprimis ipſa bilis inflammatur; quæ quum ſit ſulphurea, reliquis omnibus citiùs incenditur, humores tumultuosè movet, alterationemque in corpore excudit pernitioſiſſimam. Triſtitia, ingens & improviſus terror, timor, curæ, aliaque παθήματα quid hîc præſtare poſſint, colligere licebit ex eo: quod ex violento ſpirituū humorūq; motu ſæpè graviſſima ſymptomata, imò interdum inopinata mors excitetur.

DIFFERENTIA I. RATIONE GENERIS, ubi alia affectio hypochondriaca eſt fiens ſeu incipiens, alia facta ſeu inveterata; alia in obſtructionibus contumacibus ſeu viſcerum ſcirrhis; alia magis in intemperie radicatur; alia eſt hæreditaria.

II. RATIONE SUBJECTI alia eſt ſplenetica vel ſtomachica; alia epatica vel meſenterica; alia uterina vel melancholica hypochondriaca affectio.

III. RATIONE CAUSARUM totuplex eſt, quotuplices cauſæ ipſæ, à quibus originem ducit, dum modò humor melancholicus peccat, modò bilioſus, modò pituitoſus, modò conjunctìm conſpirant.

SIGNA DIAGNOSTICA I. INCIPIENTIS conjecturantur, quòd parentes hypochondriaci fuerint: item ſi vita ſedentaria vel diæta huic malo generando apta præceſſerit. Imprimis autem incipientis hujus mali indicium eſt VENTRICULI IMBECILLITAS, circa quem multa apparere incipiunt ſymptomata, adeò quidem, ut quamplurimi hoc malo affecti, ſaltem ventriculum accuſent, eumq; ſolùm malè ſe habere exiſtiment. Neque mirum hoc cuiquam accidere debet. Longè enim alia ratio eſt partium, quæ ſibi ſaltem proſpiciunt, quàm quæ toti corpori inſerviendo conſtitutæ ſunt. Muſculus quidam licèt lædatur, vel malè nutriatur, id toti corpori parùm nocet. At ſi communis corporis promus condus, publicusque cæterarum

partium miniſter ventriculus vel leviter laborare, & à ſtatu naturali deflectere occipit, id certè totum corpus extempló perſentiſcit. Id quod veteres fabulâ eleganter ante oculos poſuêre; quâ cæteræ corporis partes omnes finguntur inſenſæ ventriculo, quod illi perpetuis ſervitiis gratificari cogerentur; qui tamen nihil aliud ageret, quàm ut inexplebilis gurges omnem cibum potumque continuè ad ſe raperet. Hinc unanimi conſenſu illius avaritiæ & ingluviei non amplius famulari concludebant: verum detracto nutrimēto paulatim & ipſæ contabeſcentes conſilium ſubindè mutabant, ingruente exitio perſpicientes, quàm malè conſultum fuerit, ſervitia à Deo & naturâ injuncta detrectare, eiq; benevolentiæ officia denegare, à quo rurſus omnis ſalus ſit expectanda. Res hæc manifeſta etiam eſt in epate, quod dum ſangvinem non bonum generat, cachexiæ, hydropis, ſcabiei, aliorumque morborum cauſa eſt. Idem accidit in ventriculo. Nam ſi ſangvis pro nutritione ventriculi è venæ portæ ramis affluens ſit vitioſus, ipſe etiam malè nutritus debilitatur, malè coquit, & cibum in alienam ac vitioſam planè ſubſtantiam convertit; imò cibos quoſdam ex peculiari vitio planè non alterat, ut licet cibi reliqui mutentur, hi tamen crudi maneant; quos ſequitur dolor capitis gravativus, laſſitudo, triſtitia & hujus generis alia.

II. AUGESCENTIS, ubi omnia exacerbantur. CRUDITATES fiunt crebriores, & cibi non in chylum bonum, ſed in materiam nunc aqueam, acidam, acerbam, ponticam, nunc viſcidam atroque colore tinctam mutantur; quæ quum nec ab inteſtinis, nec vaſis meſaraicis, utpote ingrata & corpori alendo inepta, attrahatur, atque ita in ventriculo hæreat; nunc ſurſum repens, lingvam ac os ſalivâ & humiditate aqueâ copioſâ replet, ut continuò ægri ſalivam & pituitam exſpuere cogantur, ſæpeque vomitibus vexentur. Obſervavi ante triennium, ni fallor, hoc in cive hujus loci in ſuburbiis, qui ſingulis dieb. ante cœnā & prandium humorem copioſum, tenaciſſimum, acrem, nigerrimoque colore præditum evomebat. Antequam verò vomi-

 tus

tus fiant, interdum maxima præcedit in ventriculo humoris hujus ebullitio, & inde ructuum & flatuum copia excitatur, qui non ſolùm ventriculum, ſed & vicinas partes & diaphragma diſtendunt, & tantam circa præcordia anguſtiam, atque anxietatem exſuſcitant, ut ægri, quorſum ſe vertant, neſcientes, non rarò in ſyncopen & lipothymiam incidant. Quæ ſymptomata uon prius ceſſant, quàm, quod craſſius eſt, vomitu rejiciatur; quod verò tenuius & vaporoſum, per poros, vel ἄδηλον διαπνοὴν diſcutiatur; quod interdum cum horrore febrili accidit, quem etiam calor quidam ſequitur, qui poſtea ſudore evaneſcit. VENTRICULI dolores tam vehementes etiam adſunt, ut ad dorſum usque procedant, & ab ægris, imò in cautis etiam medicis ſæpè pro Nephriticis habeantur. LIENIS & hepatis dolores gravativi & pungitivi interdum occurrunt, qui modò mites, modò acerrimi ſunt, adeò ut ægroti vix reſpirare poſſint, & accedente tumore vel ſcirrho, flatuumque inſultu, lectulis affixi miſerrimè crucientur.

ALVUS adſtricta eſt ob vaſorum viſcerumque ſiccitatem, vel etiam ob glutinoſos humores inteſtinorum parietibus adhæreſcentes. Interdum tamen, ſi humores acriores reddantur & exaſperentur, fluxus alvi excitatur, nunc bilioſum, nunc melancholicum humorem admixtũ habens.

PULSATIO & ÆSTUS quoq; moleſto fervore interno, nunc in uno, nunc in utroque hypochondrio ægros affligere ſolent, provenientes ex humoribus fervidis eò loci ſtabulantibus; qui cibi potúsve calidate, vel aliâ causâ agitati, vaporibus ſurſum aſcendentibus, rubras maculas in malis manibusque efficiunt.

CORDIS ANXIETAS, PALPITATIO & ANIMI DELIQUIUM ſæpenumero ſimul adſunt, quæ fiunt partim ob ventriculi cõſensũ, partim à vaporibus vel humoribus pravis ad cor aſcendentibus, quos cor depellere, & à ſe amoliri conaturum incidit in ſcyllam, dum vult vitare charybdim. Iidem humores vitioſi ad pulmones delati, tuſſis, aſthmatis, & maraſmi cauſa eſſe poſſunt.

CA-

CAPUT & NERVOSUM GENUS variè afficitur, cùm à vaporibus, tùm à vitioſis ſuccis ſangvini miſtis, & ad caput elevatis Dolor hîc nõnunquam adeſt in parte externâ, & tùm pili videntur dolere, nonnunquam internâ, & ad radices oculorum ſeſe extendit. Catarrhi ſunt frequentiſſimi. Nonnullis crebra vertigo ſuboritur, & caligo oculis obverſatur, aliis aurium ſonitus, in nonnullis triſtitia, metus, falſa imaginatio & deliria melancholica fiunt ſpirituũ vitio. Nonnulli continuò ſibi ab Apoplexiâ, Epilepſiâ; alii à ſubitâ morte metuunt; alii ſe faſcinatos eſſe credunt; alii alios morbos imaginantur. Nonnulli à lacrymis & ejulatu ſibi temperare nequeunt, concatenato mœrore & triſtitiâ macerati. Dum verò nervi occupantur, paralyſis, convulſiones, laſſitudo, ſtupores, & id generis alia oriuntur. Vapores ſi ſint calidi, ſicci ac melancholici, ſpiritus animales perturbant, cerebrum exſiccant, ſomnos turbulentos, inſomnia terroris plena, vigiliasq; moleſtiſſimas inferunt, quæ poſt noctis meridiem plerosq; affligere ſolent, exortæ à vaporibus crudis, è crudo chylo jam ad lienem & epar tendente, Camarinamq; illic movente, aſcendentib9. Quando humores putredine corripiuntur, febres concurrunt, modò continuæ, lentæ, modo intermittentes quartanæ, tertianæ, vel quotidianæ, pro ratione humoris peccantis. Et hæ febres, obſtructionibus validiſſimis radicatæ, ſunt contumaciſſimæ & maximè diuturnæ. Urina nunc craſſa eſt, & turbida, nunc rubra, nunc tenuis; ſemper ferè omnis generis tartarum copiosè educens, quod partim matulæ parietibus adhæreſcit, partim in fundo ſubſidet.

III. RATIONE SUBJECTI, quæ nimirum pars juxta lienem potiſſimum laboret, & ubi colluvies vitioſorum humorum contineatur, ex propriis & particularibus ſignis colligere licebit.

PROGNOSTICA I. RATIONE SALUTIS. 1. De incipiente morbo bonam ſalutis ſpẽ ægri concipere poſſunt; de inveterato v. non itẽ, conflictati ſymptomatũ συνδρομῇ, tartareaq; colluvie non in hypochondriis tantùm, ſed & in totâ maſsâ sãgvineâ jã ſtabulante & reſtagnãte 2. In dextro

 hypo-

hypochondrio ſi Camarinæ hujus ſedes, mitius malum eſt: gravius,cū in ſiniſtro: graviſſimū eſt,ſi in utroq; hypochondrio: eoq́; graviora ſunt ſymptomata, quo humor magis ad atræ bilis & tartari naturam accedit. 3. Contumaciſſimum malum eſt,ſi ſcirrhus lienis vel hepatis accedat; itē ſi pancreas afficiatur, & materia in omenti cavitate quoq; contineatur, exitū difficilē inventura. 4. Hæreditaria diſpoſitio ſemper aliquid monſtri alit. 5. Mulieres in hanc ſcyllā incidentes, triſtiùs curantur, ægriùs convaleſcunt, graviſſimis uteri affectibus concurrentibus. 6. Senes & mediæ ætatis homines,præprimis autem literatos vitamq́; ſedentariam agentes malum hoc maximē affligit.

II. RATIONE LONGITUDINIS. 1. Affectus hic ſi incipiens non extirpetur,malum fit χρονικὸν, multa faceſſens negotia, comes totius vitæ individuus.

2. Ἀντιπραξία viſcerum ſi habitum contraxerit,ſanitatis recuperandæ ſpes citiùs decollabit, quàm ſi unius vel alterius viſceris fomite malum nutriatur.

3. Ægroti, quibus medicamentorum tædium ſubrepit, aut Medicos ſubinde mutare lubuerit,ægrê ferentibus difficilem curationis ſucceſſum, ſuā ipſius culpâ malum protrahunt, in eodem luto indeſinanter hæſitantes.

4. Vere & autumno uberior ſymptomatum ſeges ægros fatigat, quàm alio tempore.

III. RATIONE MODI EVENTUS, 1. Fluxus ventris,vomitus cum εὐφορίᾳ prorumpens, cutis vitiligines, Hæmorrhoides, varices, & in mulieribus menſes ſupervenientes,ſi quidem hæc ſint moderata, mitiorem morbum promittunt: immoderata verò periculum portendunt.

2. Afflictionis hypochondriacæ inveteratæ facilis eſt ad ſcorbutum, melancholiam &quartanam deſcenſus.

3. Vertigo, κεφαλαία præter modū affligens, in epilepſiā,convulſiones,cœcitatē,ſurditatē vel Apoplexiā abit.

4. Scirrhi lienis vel hepatis ſuccreſcentes hydropem præſagiunt.

5. Hypochondriaci ſæpê nauſeabundi vomentes, aſſumtaq; malè concoquentes,in febres tandē,hecticæ nō abſimiles incidunt, & tabidi moriuntur.

CU-

CURATIO INDICATIONIBUS abſolvitur. CURATORIA affectum auferre, jubet, PRÆSERVATORIA colluviem mali cauſam, in hypochondriis & vaſis ſtabulantem exterminandam, quâ craſſa & viſcida, incidendam & attenuandam, quâ ſicca, humectandam, quâ calida, frigida, acris, tartarea, contrariis corrigendam & reſolvendam; viasq; eductioni convenientes reſerandas & apperiendas eſſe, monet. VAPORES diſcutiendi ſunt & reprimendi. VITALIS nativum nobilium viſcerum tenorem per convenientia corroborantia reſtaurare & conſervare allaborat, humores cacochymicos denuò emerſuros præoccupatura.

MATERIÆ PRÆSIDIORUM ex uſitatis fontibus hauriuntur.

I. EX CHIRURGICO. Hepate, calidâ intemperie laborante, vel plethorâ vaſa diſtēdente, jecoria ſeu mediana ſecari poteſt. Salvatella lienoſis prodeſt. Menſes ſi fuerint ſuppreſſi, ſaphena nonnihil levamenti ſpondet. Hæmorrhoides non negligantur. Fonticuli etiam, ut & cucurbitulæ pro ratione urgentium ſymptomatum eligendæ.

EX PHARMACEUTICO A fortioribus purgantibus initio abſtinendum, ne forſan oleum camino addatur, & vitioſi humores copioſi ex omnibus corporis angulis cōvocati ὑπερκάθαρσιν adeoq; inſignem virium jacturam excitent; vel in primis viis ſubſiſtentes ad intemperiei obſtructionumq; augmentum plurimùm conferant. *Si* æger ad vomendum ſit pronus, tutius primò Vomitoria leniora propinantur; qualia ſunt decoctum ſeminis raphani, foliorum menthæ origani in quo DIAASARUM Fernelii ad ℥ii diſſolutum fuerit. Prodeſt etiam oxymel ſcyll, aut Hydromel cum radicibus aſari aut ſummitatibus ſeu turionibus ſambuci. Quum materia in ventriculo & circa primas vias plerumq; ſit impacta, ad MANNAM vomitoriorum, ab AngloSalâ in Hemetologiâ, & Quercetano in Tetrade commendatam confugere poſſumus, quæ modico ſacchari candi miſta & in jure pulli, ſeu cereviſiâ tepidâ cū butyro exhibita feliciùs operationem ſuam perficit, quàm in conſervâ

ſeu alio modo ſumta. Pari ſucceſſu expectationi reſpondent Grilla Theophraſti, Aqua benedicta Rulandi, infuſum croci metallorum, Sal Vitrioli Veneris, Martis, ut & vomitivũ Conradini ex rad bryoniæ, Cyclam. & Helleb. albi paratum. Aqua formicarum à Quercetano deſcripta cum aliquot gr. gummi de Peru leniter ſuperiùs & inferiùs evacuat?

LENIENTIA cum in forma Clyſterum, tùm per eos exhibita initio quoq; locum habent. Clyſteres acui poſſunt infuſo vitri antimonii, croci metall. Mercurii vitæ, vel alterius purgãtis; quo vitioſa colluvies in inteſtinis interdũ copioſiſſimè ſtabulans facilius educatur. Conveniunt Cryſtall. & Crẽ. Tartari, Tart. Vitriol. & Nitrat9 in ſyrupo cichorii cum Rhab. infuſo fol. ſenæ, polypodii ſumta. Hisce alterantia, incidentia detergentia, aliaq; lieni & hepati ſpecifica ſemper addi poſſunt, qualia ſunt: rad graminis, aſparagi, bugloſſ. fænic. Scorzoner. cichor. Fol. cetarach, ſcolop. fumar. agrimõ. Cẽtaur. min. abſinth. Sal fraxini, cichor. fumar. pulvis cachecticus Quercetan. conſerva & ſp. cochleariæ, becabung. cum ſp. ſalis vel vitrioli Martis. Aqua polychreſt. Jenenſ. Decoct. ligni Gvajaci, radic. chinæ. Lapis Prunell. ſeu Mag. Nitri Vitriolatum, Elixir propr. purgãs. ſp. Vitrioli, Vitrioli Philos. Cerberus triceps, ſeu ſpiritus trium mineralium.

MARS Macrocosmi metallicus, analogiâ Microcoſmi Marti reſpondens viſcerum primæ & ſecundæ coctioni deſtinatorum ſolamen egregium, auxiliatrices manus præ cæteris hîc porrigit, ſanitatis cuſtos & reſtaurator nobiliſſimus. Crudum quidem de indomabili duritie glориantem, ab aliis exhibitum, nos non multùm commendamus, ſepoſito incondito cibo, delicatas Hermeticorum dapes menſis apponentes. Inſignem vim aperiendi, incidendi, attenuandi, Tartarum reſolvendi, ut & ventriculum, hepar, & lienem corroborandi vim habent, ſp. Vitrioli, Martis, ſaccharum Martis, Cryſtalli Vitrioli Martis, Acidulæ Martiales, Tinctura Martis rubra & aurea, fixa & volatilis, utraq; cum ſp. ſalis optimè rectificato parata, Cryſtalli Tartari Martiati, Flores ammon. Martiales, crocus Martis aperiens, fixus & volatilis; quæ omnia bonam extirpandi mali ſpem oſtendunt.

ACI-

ACIDULÆ Egranæ, Stoebenſes, Schvvalbacenſes; THERMÆ Carolinæ, Badenſes Marchionis, de nitri, ſulphuris, vitrioli vel Martis minerâ ut plurimum participantes, ſuccenturiatâ opera, Martis induſtriã ſtrenuè imitantur. HUMORIBUS PRÆPARATIS, neceſſariũ eſt, purgationẽ aliquoties inſtituere, & per ἐπίκρασιν ſenſim evacuare. Utilia ſunt aloës Rad. Mechoacan. Gialap. Reſin. ſcammon. Extract. Rhab. Agar. fol. ſeu helleb. nigr. rad. eſulæ Panchymag. Croll. Pilul. Tartar. Querc. de Ammoniaco. Helleb. albus ad ductum Minſichtii præp. Gummi Gotte præp. Si natura & conditio ægroti id patiatur, Mercurialia & Antimonialia non negligantur, hypochondriorum ſaburram laudabiliori ſucceſſu everſura. Præconio digna ſunt Aquila purgans. Mercurius Vitæ Vomitivus & purgans, Mercurius dulcis. Turpetum minerale, Flores antimon. crocus metall. purgans; quæ extractis purgantibus & pilulis commodiſſimè palliata exhibentur.

DIURETICA, eaq; Tartarum reſolventia ſæpius interponenda qualia ſunt quædam ex Martis familiâ antea in ſcenam producta, Tinctura Tartari Mag. Tartari Nitratũ, Vitri, ſp. ſalis ſ. ſp. Salis Tartariſatus, ſp. Tartari, ſp. Vitrioli Tartar. Arcanum vitrioli ex proprio ſale & ſp. præparatũ Sal geniſtæ, Tamariſc reſtæ bovis, Sal ſuccini volat. &c.

DIAPHORETICA ex appropriatis parata valde etiam ſunt neceſſaria, colluviem ſangvini communicatam non contemnendo fructu ventilatura, ſaliaq; fixa volatili ſatura & ad exitum præparatura. Homo, miſerandum hujus mali ludibrium, varia hac in parte quærit & excogitat auxilia, neſcius quàm divite proventu ea ſecum circumferat, exoptatam in tenebris lucem, ſperatam in ipſo malo medelam inveniens. Urinam tanquam inutile excrementũ, indignum ædibus noſtris, odioſum omnibus, quotidiè profundimus, latentem theſaurum, benignum naturæ munus non animadvertentes, Cimmeriis nebulis obvoluti: ſpiritus & ſal volatile, qvæ ex eâ ſatis copioſè eliciuntur, ipſius naturæ noſtræ Archæo miro artificio antea elaborata, virtutis ſuæ ſpecimen hîc non ſinè glorioſo eventu oſtentant, exhibita per conſvetas & notas vias felici conatu penetrãdo.

Spi-

Spiritus, Sal volatile & fixum à ſangvine noſtro ſuppeditata in pari ſunt honore. Non inglorius abit ſpiritus hepatis humani, odore & ſapore ſp. C. C. æmulans. Sal volat. C. C. ſangvinis hircini, ſp. ligni Gvajaci, Juniperi, Sambuci cum tincturâ Coralliorum vel oulorum cancri impregnati, Mixtura ſimplex cum ſp. Salis, vel ſp. Vitr. &c, magnificis pollicitationibus non fallunt.

BALNEA de formicis, meliloto, Chamæmel. Althæâ, & ſimilibus parata, hypochondriorum tartarum mirum in modum promovent, præprimis ſi ſimul ſpecifica reſolventia ante balnei ingreſſum adhibeantur.

IN TUMORE LIENIS proſunt fomenta de melilot. Chamæmel, Item oleũ de Cappar. amygdal. amar. de lateribus. Emplaſtrum de ammoniaco, melilot. &c.

Uteri affectus, palpitationes cordis, epilepſia, vertigo, aliaq; ſymptomata ingruentia, medicamentis ſpecificis ſunt avertenda; ſiquidem quemadmodum *Augiæ ſtabulum* non niſi Herculeo labore repurgari poterat: ita & hæc malorum *Ilias* non niſi præſentiſſimis medelarum copiis expugnatur, prudentis Medici conſilia infinitis modis deluſura.

DIÆTA curationi inſtituatur conveniens. AER ſit lucidus, purus & temperatus. CIBI ſint εὐπεπτοι καὶ εὐχυμοι, temperati, non viſcidi, lenti, vel acres. Ad ſalivã faciant aves montanæ, carnes agninæ, vitulinæ, vervecinæ, bubulæ ſaltẽ juniores, cum paſſulis, ſucco & corticibus aurantiorum, citri, flor. anthor. borrag. croco, macere, rad. petroſelini fœnic. vel baccis Junip. conditæ, Ova tremula non ſunt inutilia; nec juſcula gallorum & gallinarum, carnis bubulæ &c, mediocri tamen quantitate ſumta. Cappares cum paſſulis & modico ſacchari mixta, & Embammata ex ſinapi, cochleariâ, naſturtio &c. nõ nocent. POTUI inſerviat vinum Rhenanum, item tenue album, benè maturum, & defecatum, nec multo Tartaro impregnatum, corticibus tamariſci, fol. ſcolop. & carduib. infuſum. Abſinthites præ cæteris convenit; Omnia enim amara lieni ſunt amica, ſicut dulcia inimica. Meretur palmam cerevifia Numburgenſis, præter cæteras dotes ſegnem alvum officii ſui admonens. In quem ſcopum etiam eligi poteſt ſerum lactis caprini convenientibus herbis infuſum.

SOMNUS & VIGILIÆ, motus & quies & animi παθήματα omnia ſint moderata, in loco & tempore inſtituta. Jam Anchora de prorâ jacitur, ſtant littore puppes.

F I N I S.